ARISTOTELIS

LOCUM DE POETICA XIX. 1456 a 33—1456 b 8

EXPLICAVIT ET EMENDAVIT

VALENTINUS WRÓBEL.

COMMENTATIO EX OPUSCULO, QUOD INSCRIBITUR: „ALMAE MATRI JAGELLONICAE QUI AB IPSA MULTA OLIM IN LITTERIS PERCEPERANT QUINQUE SAECULA FELICITER PERACTA HOC MUNUSCULO OBLATO GRATULANTUR“ SEIUNCTA.

LEOPOLI.
PROPRIIS SUMPTIBUS.

IMPRESSUM IN I. TYPOGRAPHIA SOCIORUM.

ERRATA TYPOGRAPHI ITA CORRIGENDA:

p. 5.	v. 23: Uebewegius	Ueberwegius
p. 8.	v. 21: nationem	notionem
p. 8.	v. 24: vulgarirzata	vulgarizzata
p. 8.	adn. 10) Lipsiae 1872	Lipsiae 1882

ARISTOTELIS LOCUM DE POETICA XIX. 1456 a 33 — 1456 b 8

EXPLICAVIT ET EMENDAVIT

VALENTINUS WRÓBEL.

In codice Parisino 1741, qui inde a Bekkero nota *Ac* signari solet, leguntur initio capitis XIX. haec:

1456 *a* 33 *περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ἤδη εἴρηται, λοιπὸν δὲ περὶ*
λέξεως καὶ διανοίας εἰπεῖν. τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν διάνοιαν ἐν
35 *τοῖς περὶ ῥητορικῆς κείσθω, τοῦτο γὰρ ἴδιον μᾶλλον ἐκείνης*
τῆς μεθόδου. ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα ὅσα ὑπὸ
τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι. μέρη δὲ τούτων τό τε ἀπο-
δεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν οἷον
1456 *b* *ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργὴν καὶ ὅσα τοιαῦτα καὶ ἔτι μέγεθος*
καὶ μικρότητας. δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀπὸ
τῶν αὐτῶν ἰδεῶν δεῖ χρῆσθαι, ὅταν ἢ ἐλεεινὰ ἢ δεινὰ ἢ
μεγάλα ἢ εἰκότα δέῃ παρασκευάζειν· πλὴν τοσοῦτον δια-
5 *φέρει, ὅτι τὰ μὲν δεῖ φαίνεσθαι ἄνευ διδασκαλίας, τὰ δὲ*
ἐν τῷ λόγῳ ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζεσθαι καὶ παρὰ
τὸν λόγον γίγνεσθαι. τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον, εἰ
φανοῖτο ἡ διάνοια καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον.

Quae latine ita fere concipi possunt:

„Quoniam igitur de aliis (partibus) dixi, reliquum est, ut de o r a t i o n e et r a t i o n e dicendum esse videatur. Atque omnis de ratione doctrina in libris rhetoricis posita est, illius enim artis magis est propria. Sunt autem ea, quae ad rationem pertinent, quaecunque oratione sunt paranda. Partes

---

1456 *a* 34 Ac: λέξεως ἢ διανοίας, Hermannus : λέξεως καὶ διανοίας
1456 *b* 4 Ac: δ' ἤ, Riccardianus 16 et Parisinus 2038: δέῃ
8 Ac: ἡδέα· itaque libri omnes; ἡ διάνοια αὐτὴ δι'αὑτῆς Spengel, ἡ διάνοια Vahlen, Margoliouth, sed uterque dubitanter.

autem eorum sunt probare, refutare, perturbationes animorum movere, ut misericordiam aut metum aut iram, et quae sunt, cetera eiusmodi, praeterea res amplificare et minuere. Manifestum autem est etiam partibus actionum ab iisdem locis utendum esse, cum sint aut miserabiles aut metuendae aut magnae aut non incredibiles parandae; nisi hoc interest, quod partes fabulae nullo docente sic apparere, partes autem, quae orationis sunt, ab eo, qui dicit, parari et oratione effici oportet. Quod enim munus dicentis esset, si ratio etiam sine oratione perspiceretur".

Quaestionem de ratione *(διάνοια)*, quae tragoediae pars est, cum iam dudum mihi post Io: Vahlenium (cf. Aristoteles' Lehre von der Rangfolge der Theile der Tragoedie. Symbola Philologorum Bonnensium in honorem Friderici Ritschelii collecta. Lipsiae 1864—1867, p. 170 sqq.) retractandam proposuissem, loci, qui huc pertinent, omnes percensendi mihi primum atque recognoscendi videbantur. Quorum celeberrimus est, qui de poet. cap. XIX. legitur. Aristoteles enim, cum de quattuor illis tragoediae partibus, de fabula, moribus, apparatu scenico, canticis *(μῦθος, ἦθος, ὄψις, μελοποιία)* disputavisset, capite XIX. ad reliquas partes duas, rationem et orationem *(διάνοια καὶ λέξις)* transit contrita illa et vulgata transitionis formula usus: *περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ἤδη εἴρηται, λοιπὸν δὲ περὶ λέξεως καὶ διανοίας εἰπεῖν.*

Quod in libris *λέξεως ἢ διανοίας* legitur, librarii cuiusdam culpa est factum vim ac naturam vocis *διάνοια* ignorantis et recte Hermannus *λέξεως καὶ διανοίας* restituit. *Διάνοια* enim est ratio et consilium agendi *(διάνοια πρακτική)*, quae in agentibus est, quam Aristoteles una cum moribus causam esse actionum supra dixit (6. 1449 *b* 36: *ἐπεὶ δὲ πράξεως ἐστὶ μίμησις, πράττεται δὲ ὑπὸ τινῶν πραττόντων, οὓς ἀνάγκη ποιούς τινας εἶναι κατά τε τὸ ἦθος καὶ τὴν διάνοιαν, πέφυκεν αἴτια δύο τῶν πράξεων εἶναι, διάνοιαν καὶ ἦθος· διὰ γὰρ τούτων καὶ τὰς πράξεις εἶναί φαμεν ποιάς τινας καὶ κατὰ ταύτας καὶ τυγχάνουσι καὶ ἀποτυγχάνουσι πάντες.* Cf. Gomperz Theod. Zu Aristoteles' Poetik. Ein Beitrag zur Kritik und Erklärung der Capitel I—VI. Wien. 1888 p. 29 sq.). Est deinde ratio una pars tragoediae de tribus (h. e. *μῦθος, ἦθος, διάνοια*), quas poetae

imitandas sibi proponunt, oratio autem *(λέξις)*, q u a id faciunt. Nullo igitur modo ferri potest, ut hae partes, quarum vis ac natura tam diversa est, aut secum confundantur aut altera pro altera ponatur. Itaque Aristoteles ipse primum de ratione, deinde de oratione separatim agit.

Sed quem ad modum doctrinam de canticis, quorum vis omnis nota esset, (cf. 6. 1449 *b* 35 *μελοποιίαν δὲ ὃ τὴν δύναμιν φανερὰν ἔχει πᾶσαν*) et de apparatu scenico, qui magis ad eum, qui scenam adornat *(ὁ σκευοποιός)*, quam ad poetam pertineret, (cf. *ἡ δὲ ὄψις ψυχαγωγικὸν μέν, ἀτεχνότατον δὲ καὶ ἥκιστα οἰκεῖον τῆς ποιητικῆς· ἡ γὰρ τῆς τραγῳδίας δύναμις καὶ ἄνευ ἀγῶνος καὶ ὑποκριτῶν ἔστιν, ἔτι δὲ κυριωτέρα περὶ τὴν ἀπεργασίαν τῶν ὄψεων ἡ τοῦ σκευοποιοῦ τέχνη τῆς τῶν ποιητῶν ἐστιν.)* praeteriit, sic hoc loco omnem de ratione doctrinam *(τὰ περὶ τὴν διάνοιαν)* in libris rhetoricis absolvisse se dicit, quod illius artis magis propria esset: *τὰ μὲν οὖν περὶ τὴν διάνοιαν ἐν τοῖς περὶ ῥητορικῆς κείσθω· τοῦτο γὰρ ἴδιον μᾶλλον ἐκείνης τῆς μεθόδου.*

Quibus dictis Aristoteles ad alteram tragoediae partem, orationem disceptandam transire poterat, sed cum id infra demum 1456 *b* 8 *(τῶν δὲ περὶ τὴν λέξιν ἓν μέν ἐστιν εἶδος θεωρίας κτέ)* faciat, sequitur, ut, quae hic inserit, ad rationem adumbrandam pertineant. In quibus explicandis et vertendis cum viri doctissimi magnopere dissentiant, singula mihi aeque atque universa diligentissime retractanda atque perquirenda esse videntur. Quae igitur proxime leguntur: *ἔστι δὲ κατὰ τὴν διάνοιαν ταῦτα, ὅσα ὑπὸ τοῦ λόγου δεῖ παρασκευασθῆναι,* quarta est rationis definitio, trium illarum, quas supra auctor fecerat, haud dissimilis:

I. 6. 1450 *a* 6: *διάνοιαν δὲ (λέγω), ἐν ὅσοις λέγοντες ἀποδεικνύασίν τι ἢ καὶ ἀποφαίνονται γνώμην.*

II. 5. 1450 *b* 4: *τρίτον δὲ ἡ διάνοια, τοῦτο δέ ἐστιν τὸ λέγειν δύνασθαι τὰ ἐνόντα καὶ τὰ ἁρμόττοντα, ὅπερ ἐπὶ τῶν λόγων τῆς πολιτικῆς καὶ ῥητορικῆς ἔργον ἐστίν.*

III. 6. 1450 *b* 11: *διάνοια δέ, ἐν οἷς ἀποδεικνύουσί τι ὡς ἔστιν ἢ ὡς οὐκ ἔστιν ἢ καθόλου τι ἀποφαίνονται.*

Quarum definitionum ea vis esse videtur, quibus trita illa et vulgata eluceat sententia rationis interpretem esse orationem, quae iam libri de interpretatione cap. 1. sic expressa legitur: 16 *a* 3: *ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ.*

Hanc rationis defiinitionem partes *τὰ τῆς διανοίας μέρη,* ut par est, sequuntur: *μέρη δὲ τούτων τό τε ἀποδεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν οἷον ἔλεον ἢ φόβον ἢ ὀργὴν καὶ ὅσα τοιαῦτα καὶ ἔτι μέγεθος καὶ μικρότητας.* h. e. probatio, refutatio, motio animorum, amplificatio et deminutio rerum. Quae partes rationis intelligendae sunt, ubi Aristoteles numero plurali *διανοίας* dicit ut 24. 1460 *b* 1: *τῇ δὲ λέξει δεῖ διαπονεῖν ἐν τοῖς ἀργοῖς μέρεσιν καὶ μήτε ἠθικοῖς μήτε διανοητικοῖς· ἀποκρύπτει γὰρ πάλιν ἡ λίαν λαμπρὰ λέξις τά τε ἤθη καὶ τὰς διανοίας.* et 6. 1450 *a* 29: *ἔτι ἐάν τις ἐφεξῆς θῇ ῥήσεις ἠθικὰς καὶ λέξεις καὶ διανοίας εὖ πεποιημένας (οὐ) ποιήσει ὃ ἦν τῆς τραγῳδίας ἔργον, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἡ καταδεεστέροις τούτοις κεχρημένη τραγῳδία, ἔχουσα δὲ μῦθον καὶ σύστασιν πραγμάτων;* ubi quidem Vahlenius et, qui eum sequitur, I. Bywater (Aristotelis de arte poetica liber. Oxonii 1898) contra fidem librorum temere depravare scripturam videntur ita: *ῥήσεις ἠθικὰς καὶ λέξει καὶ διανοίᾳ εὖ πεποιημένας.* Quae optime Gomperzius vertit: „Ferner wenn jemand meisterliche Charakter-Reden, Glanzstücke der Diction und der Reflexion an einander reihen wollte, so würde er nicht das leisten, was sich uns als die Aufgabe des Trauerspiels gezeigt hat“.

Sed haec plana sunt neque longiore explicatione egent, quae sequuntur difficiliora: *δῆλον δὲ ὅτι καὶ ἐν τοῖς πράγμασιν ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν δεῖ χρῆσθαι ὅταν ἢ ἐλεεινὰ ἢ δεινὰ ἢ μεγάλα ἢ εἰκότα δέῃ παρασκευάζειν· πλὴν τοσοῦτον διαφέρει, ὅτι τὰ μὲν δεῖ φαίνεσθαι ἄνευ διδασκαλίας, τὰ δὲ ἐν τῷ λόγῳ ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζεσθαι καὶ παρὰ τὸν λόγον γίγνεσθαι.* Eorum primum singula quaedam, de quibus maxima saepe interpretum dissensio est, paucis explicabo.

ἐν τοῖς πράγμασιν hoc e. *ἐν τῷ μύθῳ,* nam ita alterum pro altero saepissime dicitur aut utrumque coniungitur, id quod iam ex ipsius fabulae definitione patet:

6. 1450 *a* 4: *λέγω γὰρ μῦθον τοῦτον τὴν σύνθεσιν τῶν πραγμάτων*
1450 *a* 15: *μέγιστον δὲ τούτων ἐστὶν ἡ τῶν πραγμάτων σύστασις* (h. e. *ὁ μῦθος*).
1450 *a* 22: *ὥστε τὰ πράγματα καὶ μῦθος τέλος τῆς τραγῳδίας.*
1450 *a* 23: *ἔτι ἄνευ μὲν πράξεως* (h. e. *μύθου*) *οὐκ ἂν γένοιτο τραγῳδία, ἄνευ δὲ ἠθῶν γένοιτ' ἄν.*
14. 1454*a* 14: *περὶ μὲν οὖν τῆς τῶν πραγμάτων συστάσεως καὶ ποίους τινὰς εἶναι δεῖ τοὺς μύθους, εἴρηται ἱκανῶς;* et multa eius modi alia, quae cenferre longum est.

ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν optime Vahlenius non significari ea, quibus uti oporteat, quae Spengelii opinio est, sed esse „*ἀπὸ τῶν αὐτῶν τόπων* (ut in rhet. 2, 3, 1380 *b* 30 *ἐκ τούτων τόπων λεκτέον*, metaph. 3, 5. 1009 *a* 6. 15 *ἀπὸ τῆς αὐτῆς δόξης, ἀπὸ τῆς αὐτῆς διανοίας*", et Gomperzius: „von denselben Gesichtspunkten" (Aristoteles' Poetik. Leipzig. 1897).

ἄνευ διδασκαλίας sensu proprio „nullo docente", nam iis opponitur, quae infra sunt *παρὰ τὸν λόγων* et *διὰ τὸν λόγον*, non ut nonnulli et explicant et vertunt, sensu tralaticio „fabulas docere", ut idem sit atque *ἄνευ ἀγῶνος*.

Quibus explicatis restat ut ad textum recognoscendum accedam. Etenim sunt, qui scripturam librorum depravatam esse censeant, quod dativus, qui ex verbo *χρῆσθαι* pendeat, desideretur. Quem ut habeant, Uebewegius (Aristotelis ars poetica ad fidem potissimum Codicis antiquissimi Ac. Lipsiae 1875) et Christius (Aristotelis De arte poetica liber. Lips. 1882) praepositionem *ἐν* delendam esse censent: *δῆλον δὲ ὅτι καὶ [ἐν] τοῖς πράγμασιν ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν δεῖ χρῆσθαι.* Ego, si quid mutandum est, huic loco levissimo additamento sic medendum esse censuerim: *δῆλον δὲ ὅτι καὶ (τοῖς) ἐν τοῖς πράγμασιν ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἰδεῶν δεῖ χρῆσθαι, ὅταν ἢ ἐλεεινὰ ἢ δεινὰ ἢ μεγάλα ἢ εἰκότα δέῃ παρασκευάζειν.* Nam cum supra de partibus rationis (*τοῖς τῆς διανοίας μέρεσιν*) dixisset, hic partes fabulae (*τὰ ἐν τοῖς πράγμασι μέρη*) adumbrat atque, quibus rebus partes rationis cum fabulae partibus congruant, quibus differant, docet. Sic etiam eorum, quae sequuntur, oratio planissime procedit: *πλὴν τοσοῦτον διαφέρει, ὅτι τὰ μὲν (ἐν τοῖς πράγμασι μέρη) δεῖ φαίνεσθαι (ἢ ἐλεεινὰ ἢ δεινὰ ἢ μεγάλα ἢ εἰκότα) ἄνευ διδασκαλίας, τὰ δὲ ἐν τῷ λόγῳ* (h. e.

τὰ τῆς διανοίας μέρη) *ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζεσθαι καὶ παρὰ τὸν λόγον γίγνεσθαι.* Sed ne quid mutemus, loco simillimo vetamur, qui est infra 20. 1457 *a* 12: *ἐν γὰρ τοῖς διπλοῖς οὐ χρώμεθα ὡς καὶ αὐτὸ καθ' αὑτὸ σημαῖνον, οἷον ἐν τῷ Θεοδώρῳ τὸ δῶρον οὐ σημαίνει.* Hoc loco neque praepositio *ἐν* deleri neque quidquam sine summa eorum quae leguntur turbatione addi potest, ubi tamen neque Ueberwegium neque Christium haesisse video. Haec enim, quae Hermanni et Christii et nuper Bywateri opinio est, ad ipsum redire auctorem videntur „festinanter et parum considerate scribentem atque, ut fit in opere adumbrato sed nunquam relecto, quod semel minus recte scripserat, intactum relinquentem“ (Cf. Bywater in praef.)

Itaque, quae induxi, ea, ut locus intellegatur, subaudienda esse censeo, neque tamen, nisi me animus fallit, *τὰ τῆς διανοίας μέρη,* id quod Vahlenius mantissae p. 207 (ed. III.) iubet, sed *τὰ ἐν τοῖς πράγμασι μέρη.* Aliae enim sunt rationis partes, aliae actionum et fabulae. Rationis partes sunt, quas supra enumeravit, *τό τε ἀποδεικνύναι καὶ τὸ λύειν καὶ τὸ πάθη παρασκευάζειν... καὶ ἔτι μέγεθος καὶ μικρότητας*, fabulae autem *περιπέτεια, ἀναγνώρισις, πάθος.* (Cf. 11. 1450 *b* 9: *δύο μὲν οὖν τοῦ μύθου μέρη περὶ ταῦτ' ἐστί, περιπέτεια καὶ ἀναγνώρισις, τρίτον δὲ πάθος).* Atque de rationis partibus in libris rhetoricis, de fabula in poetica uberrime disputavit. Haec igitur dicere videtur ex iis, quae supra de fabula docuerat, manifestum esse etiam fabulae partibus ab iisdem locis utendum esse, cum eas poetae aut miserabiles aut metuendas aut non incredibiles videri velint, nisi illud interesse, quod partes fabulae nullo docente et dicente, h. e. sine oratione tales videri debeant, partes autem rationis ab eo, qui dicit, parari atque oratione effici oporteat. Quibus doctrinam de fabula componenda iterum supplere atque stabilire videtur. Haec enim poetis aperte praecipit, quae ipsi fabulae imponenda sint, ne ea se oratione effecturos esse confidant Cf. 14. 1453 *b* 11: *ἐπεὶ δὲ τὴν ἀπὸ ἐλέου καὶ φόβου διὰ μιμήσεως δεῖ ἡδονὴν παρασκευάζειν τὸν ποιητήν, φανερὸν ὡς τοῦτο ἐν τοῖς πράγμασιν ἐμποιητέον,* et quem supra attulimus locum 6. 1450 *a* 29. Eandem opinionem de apparatu scenico adhibendo supra pronuntiavit: 14. 1453 *b* 1: *ἔστιν μὲν οὖν τὸ φοβερὸν καὶ ἐλεεινὸν ἐκ τῆς ὄψεως γίγνεσθαι, ἔστιν δὲ*

καὶ ἐξ αὐτῆς τῆς συστάσεως τῶν πραγμάτων, ὅπερ ἐστὶ πρότερον καὶ ποιητοῦ ἀμείνονος. δεῖ γὰρ καὶ ἄνευ τοῦ ὁρᾶν οὕτω συνεστάναι τὸν μῦθον, ὥστε τὸν ἀκούοντα τὰ πράγματα γινόμενα καὶ φρίττειν καὶ ἐλεεῖν ἐκ τῶν συμβαινόντων. ἅπερ ἂν πάθοι τις ἀκούων τὸν τοῦ Οἰδίπου μῦθον.

Quo modo autem partes actionum sint conformandae, ut ipsae per se aut metuendae aut miserabiles esse videantur, ex eodem capite 14. 1453 *b* 14. intellegi potest, ubi haec dicit: *ποῖα οὖν δεινὰ ἢ ποῖα οἰκτρὰ φαίνεται τῶν συμπιπτόντων, λάβωμεν. ἀνάγκη δὲ ἢ φίλων εἶναι πρὸς ἀλλήλους τὰς τοιαύτας πράξεις ἢ ἐχθρῶν ἢ μηδετέρων. ἂν μὲν οὖν ἐχθρὸς ἐχθρόν, οὐδὲν ἐλεεινὸν οὔτε ποιῶν οὔτε μέλλων, πλὴν κατ' αὐτὸ τὸ πάθος, οὐδ' ἂν μηδετέρως ἔχοντες, ὅταν δ' ἐν ταῖς φιλίαις ἐγγένηται τὰ πάθη, οἷον εἰ ἀδελφὸς ἀδελφὸν ἢ υἱὸς πατέρα ἢ μήτηρ υἱὸν ἢ υἱὸς μητέρα ἀποκτεί ει ἢ μέλλει ἤ τι ἄλλο τοιοῦτον δρᾷ, ταῦτα ζητητέον.*

Sed haec satis esse videntur. Reliquum est, ut ad extremam eius loci sententiam explicandam atque, cum a librariis foedissime depravata esse videatur, emendandam accedamus. In omnibus enim libris leguntur et vulgo eduntur haec: *τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον, εἰ φανοῖτο ἡδέα καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον.* Eadem etiam versio Arabica tueri videtur, quae Margoliouthius Latine ita reddit: „Quid enim foret opus eius qui sive loquitur sive apparent in eo voluptates neque tamen per orationem". (Cf. Margoliouth, D., Analecta orientalia ad poeticam Aristoteleam. Londini 1887, p. 66).

Quorum illud *ἡδέα*, quod in protasi est, summam legentibus et editoribus dubitationem et molestiam adfert. Neque enim, quid sid iucundum, quod cuique probetur, facile erui potest, neque hoc loco de voluptate, quae ex tragoediis spectandis atque audiendis percipitur, sed de ratione absolvitur disputatio. Itaque viros doctos, editores et interpretes, ut loco mederentur, tria amplius abhinc saecula summo opere sudavisse neque tamen talem aliquam medicinam, quae cuique placeret, excogitavisse constat. Quo factum est, ut ad diem, quo haec scribebam, suum quisque arbitrium sequeretur, suam quisque sibi emendandi rationem defendendam putaret. Primum igitur, quae virororum doctorum coniecturae publici

iuris sunt factae, eae temporum ratione habita diligenter percensendae esse videntur. Sunt autem hae:

1. Madii: *ἡ ἰδέα* [1]).
2. Castelvetri: *ἤδη* [2]).
3. Tyrwhittii: *ἤδη ἃ δεῖ* [3]).
4. Bernhardyi: *εἰ εὐφραίνοι τὰ ἡδέα* [4]).
5. Spengelii: *ἡ διάνοια (αὐτὴ δι' αὑτῆς)* [5]).
6. 7. Vahlenii: *ᾗ δέοι* [6]) et altera *ἡ διάνοια* [7]).
8. Susemihlii: *ἤδη δι' αὐτά* [8]).
9. M. Schmidtii: *εἰ (μὴ) φανοῖτο ἔνια.* „An dieser mannigfach behandelten Stelle will mein Text wenigstens etwas Lesbares geben" [9]).
10. Christii: *ἡδέα (ἢ δεινὰ αὐτὰ)* [10]).
11. Gomperzii: *ἤδη τῇ θέᾳ,* quorum prius Castelvetro, posteriora Spengelio auctoribus [11]).
12. Margoliouthii: „Fort. *εἰ φαίνοιτο ἡ διάνοια*". Re et modo Vahlenium fere sequitur [12]).

In quibus coniciendis plerique viri docti eo mihi maxime errare videntur, quod voce *ἡδέα* sublata nihil fere, quod certum sit atque definitum, restituunt atque Vahlenius aperte universam quandam nationem exspectari sibi dicit videri. Eius modi fere sunt illa *ἤδη, ἡ ἰδέα, ἤδη ἃ δεῖ* et *οἷα δεῖ,*

---

[1]) Madius, In Aristotelis librum de poetica explanationes. Venet 1550.

[2]) Castelvetro, Poetica d' Aristotele vulgarirzata. Vien. 1570.

[3]) Tyrwhitt, Aristotelis de poetica liber, post mortem auctoris a Burgessio editus. Oxonii 1794.

[4]) Apud Spengelium cf. nota quae sequitur.

[5]) Spengel, Leonh., Aristotelische Studien. IV. Poetik. Abhandlungen der philosoph. philol. Classe d. k. bayer. Akademia d. Wissensch. B. XI. p. 327.

[6]) Vahlen, Jo., Aristotelis de arte poetica liber. ed. II. 1874 et

[7]) Beiträge zu Aristoteles' Poetik. III. p. 302 sq.

[8]) Aristoteles über die Dichtkunst. Leipzig 1874.

[9]) Schmidt M., Aristoteles über die Dichtkunst. Jena 1875.

[10]) Christ Gui., Aristotelis de arte poetica liber. Lipsiae 1872.

[11]) Gomperz Theod., Aristoteles Poetik. Leipzig 1897 p. 105 et Spengel Leonh., Aristoteles Poetik und Joh. Vahlens neuste Bearbeitung derselben Leipzig 1875.

[12]) Margoliouth, D., Analecta orientalia ad poeticam Aristoteleam Londini 1887.

ἢ δέοι, ἤδη δι' αὐτά, ἔνια, ἤδη τῇ θέᾳ, quae Castelvetro, Madius, Tyrwhittius, Vahlenius, Susemihlius, M. Schmidtius, Gomperzius coniecerunt. Bernhardyi coniecturam εἰ εὐφραίνοι τὰ ἡδέα iam Spengelius recte repudiavit, nam non eis, quae aegra, sed quae sana sunt, mederi conatur. Eadem de Christii coniectura ἡδέα (ἢ δεινὰ αὐτὰ) dicenda erunt. Reliquae sunt coniecturae duae, altera Spengelii ἡ διάνοια αὐτὴ δι' αὑτῆς καὶ μὴ διὰ τοῦ λόγου, altera Vahlenii ἡ διάνοια, quae quandam probalitatis speciem prae se ferre videntur neque tamen ea, qua par est, constantia et argumentorum vi ab ipsis auctoribus proferuntur. Quae igitur a viris doctis praetermissa sunt, ea mihi adferre placet. Solet enim Aristoteles, ubi aliquam sententiam a se prolatam comprobare vult, id ita facere, ut alteram sententiam, quam particula γάρ inducit, priori adiungat. Quod dicendi genus adeo usitatum est, ut in tanta copia librorum vix ullum caput sit, quo plura exempla reperiri non possint. Quorum si formam spectaveris, duo genera sunt. Alterum enim genus est, ubi Aristoteles sententiam, qua aliquid comprobatur, tam accurate conformat, ut nihil sit subaudiendum, alterum, ubi id, qua est breviloquentia, ita facit, ut antecedentis enuntiati verbum aut plura sint mente et cogitatione supplenda. Prioris generis exemplum, cum innumerabilia sint, unum satis erit proferre, quod est initio Rhet. 1. 1. 1364 *a* 1: Ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ· ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσὶν ἃ κοινὰ τρόπον τινὰ ἁπάντων ἐστὶ γνωρίζειν καὶ οὐδεμίας ἐπιστήμης ἀφωρισμένης. διὸ καὶ πάντες τρόπον τινὰ μετέχουσιν ἀμφοῖν· πάντες γὰρ μέχρι τινὸς καὶ ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον καὶ ἀπολογεῖσθαι καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσιν. Posterioris generis haec sunt:

De anim. 1. 5. 410 *b* 3: γνώσεται μὲν γὰρ ἓν ἕκαστον, πολλὰ δ' ἀγνοήσει· πάντα γὰρ τἆλλα (scil. ἀγνοήσει).

Poet. 1. 1447 *a* 16 διαφέρουσι δὲ ἀλλήλων τρισίν, ἢ γὰρ τῷ ἐν ἑτέροις μιμεῖσθαι ἢ τῷ ἕτερα ἢ τῷ ἑτέρως καὶ μὴ τὸν αὐτὸν τρόπον (scil. διαφέρουσιν).

Poet. 25. 1460 *b* 9 ἀνάγκη μιμεῖσθαι τριῶν ὄντων τὸν ἀριθμὸν ἕν τι ἀεί, ἢ γὰρ οἷα ἦν ἢ ἔστιν, ἢ οἷά φασιν καὶ δοκεῖ ἢ οἷα εἶναι δεῖ (scil. ἀνάγκη μιμεῖσθαι).

Rhet. 2. 3. 1380 *a* 34 *καὶ τοῖς δι' ὀργὴν ποιήσασιν ἢ οὐκ ὀργίζονται ἢ ἧττον ὀργίζονται· οὐ γὰρ δι' ὀλιγωρίαν φαίνονται πρᾶξαι* (suppl. *εἰ δι' ὀργὴν ἐποίησαν*), *οὐδεὶς γὰρ ὀργιζόμενος ὀλιγωρεῖ*, et multa eius modi alia presse et breviter, quae Bonitzius sub v. *γάρ* confert.

Hic locus, qui agitur, prioris generis est. Nam Aristoteles cum sententiam superiorem *τὰ δὲ ἐν τῷ λόγῳ ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζεσθαι καὶ παρὰ τὸν λόγον γίγνεσθαι* (scil. *δεῖ*) brevissime ita comprobare potuisset: *τοῦτο γάρ ἐστι τοῦ λέγοντος ἔργον*, interrogatione quae dicitur oratoria usus ita dicit: *τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον*, cui etiam protasin adiungit *εἰ φανοῖτο ἡδέα καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον*, itaque probationem facit eius consimilem quae legitur Rhet. 2. 1. 1378 *a* 23 *δεῖ δὲ διαιρεῖν τὰ περὶ ἕκαστον εἰς τρία· λέγω δ' οἷον περὶ ὀργῆς, πῶς τε διακείμενοι ὀργίλοι εἰσί, καὶ τίσιν εἰώθασιν ὀργίζεσθαι, καὶ ἐπὶ ποίοις· εἰ γὰρ τὸ μὲν ἓν ἢ τὰ δύο ἔχοιμεν τούτων, ἅπαντα δὲ μή, ἀδύνατον ἂν εἴη τὴν ὀργὴν ἐμποιεῖν*, protasis enim etiam ita dici potest; *εἰ γὰρ ἅπαντα τούτων μὴ ἔχοιμεν* h. e. *εἰ γὰρ μὴ ἔχοιμεν, πῶς τε διακείμενοι ὀργίλοι εἰσί, καὶ τίσιν εἰώθασιν ὀργίζεσθαι, καὶ ἐπὶ ποίοις, ἀδύνατον ἂν εἴη τὴν ὀργὴν ἐμποιεῖν*. Unde etiam illud disci potest, quemadmodum ea protasis, si deest, ex superioribus struenda sit.

Statuamus igitur etiam in poetica Aristotelem haec ita scripsisse: *τὰ δὲ ἐν τῷ λόγῳ ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζεσθαι καὶ παρὰ τὸν λόγον γίγνεσθαι* (scil. *δεῖ*), *τί γὰρ ἂν εἴη τοῦ λέγοντος ἔργον*, ut oratio in apodosi desineret, faciamusque periculum in protasi ex sententia, quae comprobatur, conformanda, et haec erit: *εἰ τὰ ἐν τῷ λόγῳ καὶ μὴ ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζοιτο καὶ παρὰ τὸν λόγον γίγνοιτο*. Aristoteles verbis quidem brevior et liberior esse neque tamen re aliud quidquam dicere videtur. In ea enim protasi, quae in libris legitur: *εἰ φανοῖτο ἡδέα καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον* primum illa *ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζοιτο* desiderantur, deinde *φανοῖτο* pro *γίγνοιτο* et *διὰ τὸν λόγον* pro his *παρὰ τὸν λόγον* leguntur. Sed haec ad formam potius quam ad rem pertinere videntur. Nam illud *ὑπὸ τοῦ λέγοντος παρασκευάζοιτο* et *παρὰ λόγον γίγνοιτο* pleonasmus est, qui dicitur, ita ut utrumque coniungi aut

alterum pro altero dici queat, haec vero *φανοῖτο διὰ τὸν λόγον* et *γίγνοιτο παρὰ τὸν λόγον* vix quisquam est, qui eadem esse negaverit, qui genus dicendi Aristotelis novit. Sed de subiecto, quod dicitur, quaestio difficilior est; quae enim in libris *ἠδέα* leguntur, ea in protasi a nobis facta *τὰ ἐν τῷ λόγῳ* sunt neque alterum pro altero poni potest. Sed *τὰ ἐν τῷ λόγῳ* supra *τὰ τῆς διανοίας μέρη* esse cognovimus. Quod autem de partibus praedicatur, id de toto praedicari aequum est. Totum autem est *ἡ διάνοια*, itaque *ἡ διάνοια* pro *ἠδέα* reponenda erit.

Quod vero Spengelius ita corrigendum esse censet *εἰ φανοῖτο ἡ διάνοια (αὐτὴ δι' αὑτῆς) καὶ μὴ διὰ τοῦ λόγου*, ea mihi corrigendi ratio probanda esse non videtur. Etsi enim negari non potest haec etiam ita ex more Aristoteleo dici posse aut ita *εἰ φανοῖτο ἡ διάνοια ἄλλως πως καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον*, tamen cum plura ut illa *αὐτὴ δι' αὑτῆς* aut *ἄλλως πως* excidisse verisimile non sit, particula *καί*, qua Spengelius commotus illa *αὐτὴ δι' αὑτῆς* inducere videtur, cum Vahlenio sensu etiam non et accipienda erit: si ratio etiam sine oratione perspiceretur. Neque enim, quo modo auctor dicere potuerit, sed quo modo dixerit, quaeritur.

Reliquum est, ut de origine erroris quaedam adiciam. Videtur igitur librarius quidam, cum haec *ἡ διάνοια* denotaret, prioribus quattuor litteris *ἡδια* descriptis, quae alterae quattuor posteriores *νοια* sunt, propter similitudinem omisisse itaque scripturam effecisse *εἰ φανοῖτο ἡδια καὶ μὴ διὰ τὸν λόγον*.

Etenim *ΗΔΙΑ* et

ΝΟΙΑ similiter desinunt.

Atque Vahlenius, qua est librorum scientia, eundem librarii cuiusdam errorem de an. 415 *a* 8 expiscatus est. Hoc loco enim in editione posteriore haec leguntur: *τελευταῖον δὲ καὶ ἐλάχιστα λογισμὸν καὶ διάνοιαν*, in editione autem priore eadem ita: *τελευταιον δεδιακαιλογισμος*, ubi *δεδιακαιλογισμος* ex *δεδιανοιακαιλογισμος* corruptum esse certissimum est. (Cf. Torstrik, Ad., Aristotelis de anima libri III. Berolini 1862. p. 40.) Ultimam manum loco depravando adposuisse videtur, qui ex illis *εἰ φανοῖτο ἡδιακαὶ μὴ διὰ τὸν λόγον*, ut sensum loco adferret, librorum scripturam, quae nunc exstat, fecit: *εἰ φανοῖτο ἠδέα κτέ.*

Itaque quam lectionem Vahlenius et Margoliouthius dubitanter protulerunt, ego eis, quae supra pro virili parte dixeram, adductus certissimam esse puto neque dubito, quin ratio *(ἡ διάνοια)* voluptate *(ἡδέα)* repressa sedem suam, quam sive iniuria temporum sive librariorum culpa amiserat, in editionibus poeticae futuris iure sit recuperatura.

Leopoli.